



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XXIX. De Clericis peregrinantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

inferioris, quæ statim quiescit & suspenditur, postquam causam referendam decrevit, ita ut eâ pendente nihil innovati aut attentati debeat, nec de causæ meritis inquiri, donec superior consultus aut ejus successor responsum dederit, & irrita futura sint, quæ post eam de-

cretam innovata seu attentata fuerint, si tamen partes in eam consenserint, & quarum etiam consensu causam reassumere potest, si nondum ea relata Principi fuerit, *argu. c. Bona 4. de postulac. Prælat.*

T I T U L U S XXIX.

DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

Peregrinantium nomine in hoc titulo intelliguntur illi, qui Romam proficiscuntur ad limina Apostolorum visitanda; vel ex alia causa necessaria & probabili ad sedem Apostolicam, & quamvis Rubrica tantum de Clericis loquatur, fatentur tamen AA. etiam de Laicis taliter Romam proficiscentibus seu peregrinantibus intelligenda esse, quæ hic statuuntur. Statuitur autem *inc. unico h. l.* ut qui proficiscuntur ad sedem Apostolicam, ipsi cum suis rebus sint sub ejusdem sedis protectione con-

stituti, & quod si quid durante itinere illis ablatum sit, restituendum illis sit, (quia contra peregrinantes ad sedem Apostolicam nihil est innovandum, & talis peregrinatio ad sedem Apostolicam habet vim appellationis) sive deinde ipso facto extra judicium illis auferantur aliqua, sive in judicio per sententiam Iudicis, cujus processus ipso jure nullus est, nisi accedens ad Papam citatione fuerit præventus, antequam iter institueret, *juxta c. penult. de foro com. penente.*

T I T U L U S XXX.

DE CONFIRMATIONE UTILI VEL INUTILI.

§. I.

Quid & quomodo sit confirmatio?

Confirmatio, prout hoc titulo de ea sermo est, communiter sic de-

finitur, quod Juris prius habiti seu quæsi sit per Legitimum Superiorem facta corroboratio. Potest autem duplici modo fieri actus alicujus confirmatio. Primò tanquam necessaria per se ad complendum actum prius inchoatum,

Fff 3

&c